

3	AAS XVIII (1926) 393-394	Can. 419 §1 — can. 505 — can. 673-681 — can. 1406 §1 — can. 631 §3 — can. 535 §3 n.2 — can. 533 §1 nn.3,4 — can. 1425 §2 — can. 630 §4 — can. 1550 — can. 2334 n.2 — can. 2235
---	--------------------------	-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emī Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — *De substitutione in choro*

D. An ad substitutionem in choro *in casibus particularibus*, de quibus in can. 419 § 1, requiratur venia S. Sedis vel saltem licentia Ordinarii aut Capituli.

R. Negative.

II. — *De mutatione Superiorum religiosorum*

D. An praescriptum canonis 505 comprehendat etiam Societates, de quibus canones 673-681 agunt, earumque domus, quae non sint vere et proprie religiosae sed externae seu non pertinentes ad Societatem, in quibus nempe sodales pauci numero adhiberi solent, ex. gr., in Seminariis, scholis, nosocomiis.

R. Affirmative ad normam responsi diei 3 iunii 1918.

III. — *De fidei professione*

D. An Superiores in Societatibus clericalibus sine votis, de quibus agunt canones 673-681, fidei professionem ad normam canonis 1406 § 1 n. 9 emittere teneantur.

R. Affirmative.

IV. — *De paroeciis religiosis*

D. An vi canonum 631 § 3; 535 § 3 n. 2; 533 § 1 nn. 3, 4, loci Ordinarius ius habeat exigendi rationes de administratione fundorum legatorumque paroeciae religiosae, de qua in canone 1425 § 2.

R. Affirmative, firmis praescriptis canonum 630 § 4; 1550.

V. – *De impedientibus iurisdictionem ecclesiasticam*

D. Utrum ad incurriendam excommunicationem, de qua in can. 2334 n. 2, sufficiat recursus ad laicalem potestatem causa impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, an requiratur praeterea ut recursus suum sortiatur effectum.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 2235.

Romae, die 25 iulii 1926.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

Ioseph Bruno, *Secretarius.*